



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

22. Mortificatio acediae.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



*Petitio.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; tolle à me iræ & vindictæ cupiditatem, ut nunquam in corde meo locum reperiat; sed in eo charitas, pietas, mansuetudo, & animi tranquillitas, dominatum teneat.

*Aspirationes.*

I. *Desine ab ira, & derelinque furorem.*  
Psal. 36. 8.

II. *Salvator meus, amove à me furorem ira, & indulge mihi benignus scutum patientia.* S. Aug. Med. c. 1.

III. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicii.* Matth. 5. v. 22.

## P A S S U S XXII.

## Mortificatio Acediæ.

## T E X T U S.

*Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare.*  
Eccli. c. 9. 10.

Cogni-



## Cognitio.

**A**Cedia est tædium de exercendis actio-  
nibus ad salutem necessariis.

Actus ejus sunt:

1. Exercitia spiritualia remissè obire.
2. Rarò aut nunquam se colligere.
3. Proposita sua assiduè mutare.
4. Otium & carnalia desideria sectari.
5. Colloquia inutilia quærere & frequen-  
tare.
6. Homines spiritu ferventes averfari,  
& Patres spirituales fugere.

## Consideratio.

Animet te , atque è veterno te excitet,  
Anima mea , I. Felicitas ferventium Dei  
servorum , qui Deo placent , Ei fideliter  
serviunt , in spiritu proficiunt , merita au-  
gent , & grandem sibi in cælo pro æterni-  
tate coronam fabricant. II. Infelicitas &  
miseria tepidorum te terreat , de quibus  
S. Bernardus serm. 6. de Ascens. *Deficiunt  
sub onere ; virgâ & calcaribus indigent ;  
quorum brevis & rara compunctio , ani-  
malis cogitatio , tepida conservatio : quorum  
obedientia sine devotione , sermo sine cir-  
cumfpectione , oratio sine attentione , lectio  
sine aedificatione ; quos denique vix gehenna  
metus inhibet , vix frænat ratio , vix disci-  
plina*



plina coërcet, ad idque inferno appropinquare videntur. III. Infelicitas in morte ac post mortem; tepidam enim vitam excipit, mors plena angustiis, sententia Judicis terribilis, & combustio infernalis. *Iam securis ad radicem posita est: omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Quis igitur torporem non excutiat, ut has misérias ac minas evadat?

*Petitio S. Augustini.*

O Divini amor Numinis, faucia interioris hominis arcana, tui amoris jaculo, & torpentis medullas jecoris, flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando, intima mentis & corporis universa depasce. S. Aug. in med. c. 9.

*Aspirationes.*

I. *Vinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc. c. 3. 15.

II. *Reseca in me Factor mei, otiositatem, somnolentiam, pigritiam, & mentis hebetudinem.* S. Aug. med. c. 1.

III. *Usquequò piger dormies? Usquequò de somno consurges? Surge, grandis enim tibi restat via.*